



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **ARTIS ANTIQUITATISQUE PAROECIALE TEMPLUM QUOD EST GALATINAE, HYDRUNTINAE SCILICET ARCHIDIOECESIS, S. CATHARINAE ALEXANDRINAE DICATUM,**
IN CATALOGUM BASILICARUM MINORUM REFERTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Artis antiquitatisque propter rationes S. Catharinae Alexandrinae templum quod Galatinae conspicitur intra Hydruntinae Sedis fines, eminere scimus et celebrari inter Meridianae Italiae sacras aedes, quippe quod etiam nunc tum peritiam praestantiamque aedificandi et pingendi demonstret tum fidelium ipsorum pietatem. Convenientes igitur repperimus causas postulatis satificiendi, quae nuper admovit Venerabilis Frater Vincentius Franco, Archiepiscopus Hydruntinus, cum peteret ut Sanctae Catharinae templum ante memoratum in Basilicis Minoribus recenseretur, idem quoque clero fidelibusque poscentibus. Itaque rata omnino habentes quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, Apostolica Nos usi auctoritate, sacrum aedificium de quo supra est facta mentio in numero Basilicarum Minorum adscribimus, omnibus simul concessis iuribus et privilegiis congruentibus et templis his consentaneis. Teneatur deinde Decretum «de titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX foras emissum, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. Ceterum praeteritis quidem temporibus fidei istis in locis clarum editum est exemplum, cum christianum nomen ibidem depellere conabantur. Nunc novo suscepto vigore animove, aucta istius aedis quoque dignitate, vel maiora speramus fore fideles ut ibidem patrent dentque caritatis et religions eximias testificationes. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana
